





1 Michaelis s. Joh. Georg. s. diff. de viro stante  
inter Myrtos, Halle 1739.

2. Moller s. Christoph Gottl. s. diff. de Genuina  
vocum xarakter et yposta si notione.  
Lipsiae 1738.

3. Morheim s. Joh. Lauri s. diff. de iefu Christo  
vindice dogmatis de mortuorum ad  
vitam redditu, Helmst. 1740.

4. Müller s. Gottfr. En. L. diff. de papolatria.  
Lipsiae 1726.

5. Müller s. phil. s. diff. de jure Dei in Flaminis,  
jena 1701.

diff. de regno Israelit. restauran.  
do, jena 1709.

Crocodilus lachrimans, jena 1733.

diff. de Iesu Christo Deandropo, jena  
1704.

Murzini s. Caspi. Gottfr. s. diff. de gloria  
Iesu Christi, jena 1661.

*m. 11  
L. B. V.*

DISPVTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**POENITENTIA  
SOLENNI**

*QVAM*

SVB AVSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII AC DOMINI  
**DN. FRIDERICI AVGVSTI**  
ELECT. SAX. HEREDIS, ETC. ETC. ETC.  
*PRAESIDE*

**IO. GEORG. NEVMANNO**  
SS. THEOL. D. EJVSDEMQVE PROF. PVBL.  
CONSISTORII ECCLES. ASSESSORE, ET  
ACAD. BIBLIOTHECARIO  
PRO SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS  
RITE IMPETRANDIS  
*AD D. XII. OCTOBRIS a. 1766*  
HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS

*L. C.*

*DEFENDIT*

**M. CHRISTOPH. HEINR. ZEIBICHIUS**  
SS. THEOL. CAND. FAC. PHILOS. HACTENVS  
ASSESSOR, NVNC VERO SACRORVM IN COMITATV BARVTHINO  
ANTISTES, IPSIVSQVE BARVTHINAE ECCLESIAE  
PASTOR VOCATVS.

---

EDITIO SECUND A.

---

WITTENBERGÆ, PRELO GERDESIANO.



DISPUTATIO MAGISTERIALIS  
DE  
PORNI TRINITIA  
SOLERINI

RECUTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERVATORIS PRECEPTORIS REX IN DOMINA  
DNR FRIDERICI AGASTI  
ERECTUS X HEREDIS ETC ET CETERA  
GUTTADIE

IO. G. D. N. M. K. N. O.  
THEOLOGI PLACIDIENSIS & PROGENITORE  
CONSTITUTI ECCLESIA ASSISTORE ET  
ACADEMIA BRATIOTHEORARIA  
PRO SUMMA IN THEOLOGIA HONORIBVS  
KITE IMPERI VINDIS

AD. D. Z. W. OCTOBRIS 1513  
HORIS ANTE-ET POSTMIDIAS  
CHRISTOPH HEINR. XENICHIUS  
THEOD. CAVENDISH FILII DE HASTINGS  
ARMAS, NUNC THE SACREDUM IN SORBIANIA  
TINTERS PARSOPHILIAE  
PASTOR AVGVSTI



I. N. J.

§. I.



E quo semel iterumque suos cohortatur Apostolus: velint ἐξαγοράζειν οὐαγὸν, ἐν πονηροῖς τοῦς ημέρας, i. e. ingruente rerum calamitate inservire occasione; vel potius ab ipsomet tempore suam redimere salutem, Epb. V, 16. Col. IV, 5. idem in præsenti nobis dictum putamus, quando de solenni disputatione deliberantes, ipsa nos rerum perturbatio admonet, ut de solenni potius penitentia meditemur aliquid, præsentemque DEI iram deprecemur, adeoque & alios ad placandum DEUM, quanta fieri potest, religione exstimoremus.

§. II.

Ac solennis quidem penitentia, eo nobis sensu dicitur, quo sacra solennia, nec non preces solennes & plura hujusmodi appellat antiquitas, nihilque aliud, vi nominis est, quam publicus ejusmodi cultus, quo majori quodam cordis affectu, & solicitiori rituum apparatu DEUM expiare convenit; quo de conferantur glossatores, &

A 2

qui-

quicunque, de verborum significationibus, aliquid commentantur.

§. III.

Neque vero nova, aut heri demum inventa loquendi ratio hæc est; sed Scholasticis æque ac Canonum sacrorum interpretibus passim frequentata. Nam utramque, apud hos, paginam facit pœnitentia in tres species distributio: *solennem* scilicet, *publicam* & *privatam*; quæ vero hujus ipsius distinctionis causa sit, non definiunt illi usque adeo accurate. Sic Gratianus ex sententia Christianismi degeneris: *Est quædam pœnitentia, inquit, quæ solennis appellatur, & semel tantum in Ecclesia conceditur, de qua Ambrosius ait: sicut unum est Baptisma, ita unica est pœnitentia; item, non est secundus locus pœnitentia. ad can. Siquis 61. dist. L. Et Can. subsequenti Augustinus: Quamvis cuncte & salubriter provisum sit, ut locus illius humillima pœnitentia semel tantum in Ecclesia concedatur, ne medicina nimis utilis, vilis habeatur; tamen quotidie peccantibus nunquam per pœnitentiam venia negatur.* Ubi humillimam pœnitentiam, per ultimam, eamque *solennem*, ex Augustino interpretatur Pithœus, ad hunc locum. *Canone autem 64. gradus exponuntur, in solenni quondam pœnitentia observari soliti, qui tamen ex ipsis fontibus, id est, Scriptoribus Ecclesiasticis multo solidius depromuntur.*

§. IV.

Tametsi vero nec Gratianus, nec ulli veteres Canonum collectores *solennem* pœnitentiam, a *publica* distinxerint; sed *publica* tantum ac *privata* mentionem, & illam quidem creberrimam injecerint; sequiorum tamen temporum Scholastici, & qui hos sequuntur, juris Canonici epitomatores, maxime vero librorum pœnitentialium



lium collectores τιχοτομίων invexere, eandemque ad-  
hucdum defendunt. Ac primum quidem, qui hac distin-  
tione usus fuerit, Petrum Piétaviensem nominat Mori-  
nus, cui magno deinde consensu reliqui subscripterint.  
*Comm. Histor. de Pœnit.* p. 320. Ita Raymundus, quem inter  
sanctos Romana retulit curia: *Species*, inquit, *Pœnitentiae*  
sunt tres: Nam alia est solennis, alia publica, alia privata.  
Solennis est, quæ fit in capite *Quadragesima*, cum solenni-  
tate: publica dicitur quandoque, quæ supra dicta est solennis,  
ideo, quia publice fit: proprie tamen dicitur illa, quæ fit in fa-  
cie Ecclesie, non cum prædicta solennitate, sed cum injungitur  
peregrinatio per mundum, cum baculo cubitali & scapulari,  
vel veste aliqua ad hoc consueta, &c. *Lib. III. Summa cap. de*  
*Pœnitentiis & remissionibus* §. 6. Eodem fere modo ista  
explicat Robertus de Flammesburg in *Pœnitentiali*: *Pœ-*  
*nitentia*, alia *solennis*, alia *publica*, alia *privata*. Solennis est,  
quæ fit in capite *jejunii*; quoniam cum solennitate, in cine-  
re & cilicio ejiciuntur pœnitentes ab Ecclesia. Quam qui-  
dem & publicam appellari posse probe meminit: ideo  
hæc etiam est publica, pergit, quia publice fit. Publica autem  
& non solennis est, quæ fit in facie Ecclesie, sine supra dicta  
solennitate, ut *Peregrinatio*. Privata est illa, quæ quotidie fit  
privatim coram sacerdote. Solennem pœnitentiam non injun-  
git aliquis, nisi *Episcopus*, vel aliquis ejus auctoritate, &c.  
apud Morinum L. c. p. 321. Plura ejusmodi, & prope si-  
milia legas apud Thomam in 4. *Diff. 14. art. 28.* Joannem  
de Friburgo *Summa Lib. 3. tit. 34. q. 8. 9. 10.* Addo Lance-  
lottum, qui ex Scholasticis æque ac Canonistis ista in  
compendium redegit: Sunt, inquit, pœnitentie tres  
*species*; quedam enim est solennis, quedam publica, quæ-  
dam privata. Solennis est, quam propter majora scelera  
*Episcopus* in capite *jejunii*, servata certa rerum serie, delin-



quentibus solet imponere: quæ quidem, ne Ecclesiæ vilescat autoritas, iterari non debet: & tales pœnitentes ad sacros ordines inhabiles reddit, quippe quæ nec aliter potest sacerdotibus imponi, quam, si prius cœlestis militiae cingulo exuti fuerint. De publica vero ex Scholasticorum doctrinis sic pergit: publica pœnitentia est, quæ publice, nulla servata juris solennitate, peragenda injungitur: qualis est peregrinatio, certi habitus delatio, & his similia. Cum enim manifesta peccata non sint occulta correctione purganda, recte constitutum est, ut, qui publice peccando proximo suo scandalum præbuerint, publicam etiam pœnitentiam a propriis sibi sacerdotibus impositam peragere debeant. Discri-  
men vero inter utramque ejusmodi constituit: Ap-  
paret itaque ex his, quod, licet omnis solennis pœnitentia publica sit, non tamen omnis publica est solennis. Deni-  
que privatam ita describit: Privata, aut secreta pœni-  
tentia est, quæ in occulto Deo fit & sacerdoti. Lib. II. Inst.  
Tit. V. de Pœnit. §. 2, 3, 4.

### §. V.

Ex quibus proinde omnibus liquet, quæ potissimum differentiæ, solennem inter & publicam pœnitentiam constitutæ, legibus humanis fuerint. Nam solennis annua erat, & tempore potissimum quadragesimali peragebatur; publica vero perinde, ut privata nullum plane tempus excipiebat, quod his sacris non haberetur idoneum. Illa pro peccato, quod universam vel Ecclesiam, vel urbem offenderat, hæc pro manifesto quidem, at, quod tantum scandalum non dederat, imponebatur. Utraque coram totius Ecclesiæ facie celebranda erat; sed altera, additis quibusdam solennibus, quæ Ecclesia præscriperat; altera, remotis istis solennibus, nisi quod vel peregrinatio, vel certum quoddam ve-  
stimenti



stimenti genus delinquenti decerneretur in pœnam. Solenniter enim pœnitentes per quatuor potissimum gradus redire ad Ecclesiam debebant; quorum primus erat προσκλωντων seu flentium, qui vel ipsi met Ecclesiæ introitu prohibiti prætereuntes, profusis lacrymis orabant, ut pacem Ecclesiæ sibi impetrarent; alter ἀγοριένων seu audientium, quibus quidem ad audiendas Scripturas, non tamen ad Evangelii lectionem patebat aditus. Tertius ὑποπτόντων seu procumbentium, qui intra Ecclesiæ septa recipiebantur, sed non nisi in terram provoluti, sacris intererant. Denique ultimus τῶν πιστῶν, οὐ συνισταμένων, erat, i. e. illorum, qui inter fideles jam consistebant, nondum tamen ad sacram synaxin, nisi uno alteroque anno expleto, admittebantur. Quæ doctrina antiquitatis studiosis jam explorata est; ut in describenda illa non nihil varient auctores. Vide B. Chemnitium nostrum Exam. Concil. Trid. p. 721. Justellum ad Cod. Can. Eccles. Univ. p. 160. Albaspinæum de Ritib. Eccles. Obs. 34. p. 267. Et qui ichnographiam istarum stationum adjecit, Beveregium in Annot. ad Band. Can. p. 71.

### S. VI.

Tametsi vero ex Novatianismi reliquiis hæc ipsa fluxerit distinctio, & operosis illis, quas Pontificii exigunt, satisfactionibus munierit viam; defecata tamen & ab ipsis hominum traditionibus purgata, quo minus in scholis nostris tolerari possit, quid obstat? Nam de privata pœnitentia, quam & quotidianam, & millecuplam vocant Theologi, nihil dubii est; siquidem toties iteratur illa, quoties pectus tundimus & ex præscripta Christi formula precamur: *velit nobis Deus remittere peccata nostra, quemadmodum nobis incumbit remittere debitoribus nostris.* Publicam vero quod attinet, tantum abest, ut cum



cum solenni paria faciat, ut potius praeuntibus etiam Scripturis ab illa distingvatur. Nemo enim negaverit, Davidem, Publicanum, Petrum, aliosque, publicam doloris sui significationem dedisse, neque tamen ideo *solennis*, vel totius cœtus hæc pœnitentia meretur dici. Restat itaque pœnitentia *solennis*, orthodoxo quidem sensu dicta, de qua, utut taceant, libelli methodici, Scripturæ tamen dictis atque exemplis adeo luculentis suffulta est, ut operæ omnino pretium futurum putem, hanc ipsam doctrinæ partem, quæ mere practica est, & in præsentissimam Ecclesiæ utilitatem vergit, aliquanto dilucidius explicare.

§. VII.

Quodsi vero Synonymum hujus doctrinæ expectas; hactenus enim ambiguitas vocis tantum evoluta est, cum V. Test. Ecclesia, pœnitentiam solennem, anniversariam expiationem, vel **חִיטָּה** seu diem expiationum, haud immerito dixeris. Tametsi enim sacra piacularia apud judæos quotidie fierent: *Hoc est, quod facies in altari, agnos anniculos duos per singulos dies jugiter.* Exod. XXIX, 38. Numer. XXVIII, 3. tamen etiam solennem, eandemque anniversariam D E U S expiationem requirebat, qua universus judæorum cœtus decimo quidem die mensis Tisri, qui nostro respondet Septembri, sibi reconciliaretur. *Vobis hoc erit statutum perpetuum, mense septimo, die decimo hujus mensis affligitis animas vestras, nullum opus facietis, neque indigenæ neque peregrini, qui inter vos peregrinabuntur.* Hoc enim die expiabitimi, ut purgemi omnibus peccatis vestris, & coram Jebova mundabitimi. Sabbathi haec vobis erunt feria, & perpetuo statuto, animas vestras eo die affligitis. Expiationem faciet sacerdos, qui unctus fuerit & potestate instructus, ut sacerdotio funga-



fungatur, loco patris sui, & induet vestes lineas, vestes sacras. Explabit sanctuarium sacrum, tabernaculum conventus & altare; expiabit sacerdotes, universumque Israëlis populum. Erit hoc vobis statutum perpetuum, ut expientur Israëlitæ omnibus peccatis suis, semel quotannis. Lev. XVI, 29. sqq. conf. Exod. XXX, 10. Quanta quæso hujus diei celebritas! quantus ceremoniarum apparatus! nam Pontificis erat, lotis ante vestibus sanctum sanctorum ingredi, qui introitus huic festo fere proprius fuit: mox hircum, peccatis populi quasi onustum, emittere in desertum, quem proinde Græci interpretes ἀποπομπῶν seu malorum depulsorem vocant: porro & jejuniū integrō indicere coetui, quo animæ ob admissa sclera durius affligerentur. Denique finis, qui intendebatur, omnium peccatorum expiatio fuit. Atque haec ceremonia, Brentius inquit, erant judæorum Catechismus, quo erudirentur, quæ sit vera ratio pia orationis, quæ est per fidem in Christum, qua DEUS placari queat. Comment. in Exod. XXVIII. p. 141. b.

### §. VIII.

Neque vero in N.T. Ecclesia, ista poenitentiæ solennitas abolita, sed observata perinde, certisque temporum intervallis adstricta fuit. Nam Act. XXVII, 9. mentio τῆς νησίας seu jejunii injicitur, quod quidem magnum ac celebre per Ecclesiam fuisse, vel articulus hunc nomini præfixus innuit, eoque per tempus jejunii, ab interpretibus plerisque redditur. Paulus enim, multis jam navigationibus defatigatus, monet naucleros, ut expectarent tempus opportunius ad perficiendum iter; diem namque jejunii, circa hac tempora celebrari solitum, præteriisse, eoque tempestatem anni immineré, qua procellosum fieret mare, atque minus navigabile. Num

B

vero



vero Christianorum fuerit hoc Jejunium, an Judeorum, non parum inter se litigant auctores. Bellarminus enim, ex antiquitate edoctus, per quatuor anni periodos, quatuor olim celebrata fuisse jejunia; *hyemale* illud censet fuisse, circa medium Decembris ex traditione Apostolica, institutum. *L. II. de B. opor. c. 19.* in quo plerosque ornes ordinis sui viros ad stipulatores habet. Verum, utut a Christianis frequentatum hoc jejunium sit, statoque tempore peractum; non aliud tamen, quam anniversarium illud Judæorum, ipsumque *diem*, εξιάστυς, seu *expiationis*, *Levit. cit.* fuisse, vel inde apparet, quod navigationes circa Michaelis sacra, i. e. mensem Septembris præcipitem, qui cum mense *Tisri*, coincidit, iam maxime periculosæ sint, adeo ut *Michaelis tempestas*, ob infaustum navigiorum successum, nautis in proverbiū abierit, notante Hammondo *Comm. ad b. l.*

### §. IX.

Quemadmodum igitur Apostoli, rituum Judaicorum, quos citra jacturam fidei servare poterant, tenacissimi fuere; sic etiam viri Apostolici, & qui hos infecti sunt, veteris Ecclesiæ doctores, solennes jejunii dies studiosissime observarunt. Testem Ignatium fisto, ætati Apostolicæ proximum, qui Epistola ad Philippenses sic differit: *Festivitates ne debonetis; Quadragesimale jejunium τὴν τεσσαροσήνην, ne spernatis: continet enim imitatem conversationis dominice.* Et *passionis Dominica Hebdomadam jejunare quartis & sextis feriis ne negligatis, ciborum reliquias pauperibus elargientes.* p. 45. ed. Vedel. Illustris sane hic locus est, & gemini jejunii mentionem facit, per omnem posteritatem memorabilis; quorum alterum *Quadragesimale* est, alterum *hebdomadale*. Utrumque vero, vel eo nomine *soleinne*, quod & universo coetus



tui, & illustri quidem tempore servandum injungebatur.  
Ac quadragesimæ quidem quod attinet jejuniū, cen-  
sebant veteres, istud anni tempus poenitentiæ preci-  
bus & abstinentiæ vel maxime consecrandum, quo Ser-  
vator noster ad subeundam acerbissimam mortem ap-  
propinquaverit, cumque 40. dies jejunaverit ipse, toti-  
dem quoque dierum jejuniū nobis injunctum puta-  
bant, quod ideo, τεσαρανοσήν itemque τεσαρακονθήμερον τὴν  
νυσέιαν appellantur. Evidem hanc νυσέιαν ab Apostolis  
institutam, & per manus quasi posteris traditam esse, Pon-  
tificii contendunt, adducto in primis canone LXVIII.  
Apostol. qui sic habet: *Si quis Episcopus aut Presbyter, aut  
Diaconus aut Hypodiaconus, aut Lector aut Cantor sanctam  
Quadragesimam non jejunari, ναθαιρέσθω, deponitor.* Et  
Can. L. Laodiceno: *δεῖ πᾶσιν τὴν τεσαρακονοσήν νυσέειν  
Ἐγοφεγγόντες; oportet totam quadragesimam jejunare ari-  
dis vescentes.* Attanti non est illorum canonum au-  
toritas, ut divinum hujus jejunii originem nobis persuade-  
ant; quandoquidem in Scripturis nec vestigium hujus  
cultus nec indicium reperitur. Ipsius quoque Christi je-  
junium 40. dierum, miraculum est., quod reverentius  
oberves & demireris; minime vero exemplum, quod  
imiteris. Et, si divini præcepti hoc jejunium est, cur tan-  
ta in eodem servando libertas Ecclesiæ indulta? Certe  
*Irenaeus, antiquissimus Pater, ex hujus jejunii varietate*  
colligit, non nisi privata illud auctoritate institutum  
fuisse: *Quidam unum diem se jejunare oportere existimant;*  
*alii duos; non pauci plures: multi quadraginta: atque diur-  
nis nocturnisque horis omnibus numeratis, diem suum me-  
tiuntur ac statuunt. Atque ejusmodi eorum, qui bac obser-  
vant jejunia, varietas & discrepantia non iam nostra atate  
cæpta, ut, verum etiam longe ante apud majores nostros, qui*



vel simplicitate quadam, vel privata auctoritate, aliquid  
in posterum tempus statuissent, observarunt; apud Euse-  
bium L.V.c.XXII.p.55. Nec minus cordate Socrates, se-  
quiorum temporum scriptor, testatur, nunquam scri-  
ptum de hac re præceptum extitisse; quando recensitis  
hujus jejunii dia<sup>o</sup>ōvionis concludit: alia apud alias gentes  
bujus jejunii causa afferuntur. Et quoniam nemo scriptum  
de hac re præceptum proferre potest, appareat, Apostolos arbi-  
trio cuiusque ac voluntati id permisisse, ut unusquisque quod  
bonum, sua sponte, non metu ac necessitate perageret. Lib.  
V. Hist. Eccl. c. 22. p. 288. Posterior tamen ætas non con-  
tentis istis hominum mandatis, de insigni illorum ac-  
cessione cogitavit; & jam quatuor anni tempora, vel qua-  
tuor, ut alii loquuntur, quadragesimas jejuniis dicavit,  
jam certa ciborum genera præscripsit, sublata in primis  
carnium commestione; jam flagellationes, spontaneas-  
que corporis percussionses addidit; & nequid omnino  
rigoris deesset, squalidis poenitentes locis, per hoc tem-  
pus inclusit, ac die Coenæ Domini sacra, rursum dimi-  
nit, solennique Archi-Presbyterorum & Archidiacono-  
rum comitatu, ad Ecclesiæ portas deduci jussit, ut ab  
Episcopo in gratiam recepti, toti adeo fidelium coetui  
denuo insererentur. De quarum traditionum origine  
ex instituto egerunt Dallæus Libro, de jejunio & Qua-  
dragesima, nec non Morinus Comment. Hist. de poeniten-  
tia, quos vide. Nec hodie ab ista poenitentiæ duritie  
multum remisit Ecclesia Romana, sed perstat in illo ri-  
gore; & Carenam suam celebrat, quæ vox ex quadra-  
gesina, vel quadragesima, ut appetat, die, derivata quadra-  
gesimale notat jejunium, seu poenitentiam solennem,  
cum ab Episcopo clericis, tum ab Abbatे monachis  
imponi solitam, quo de Macrini Fratres in Hierolexico  
ad h. y. consulendi.

§. X.



Denique *Hebdomadale jejunium*, cuius aliquod vestigium in Ecclesiis nostris hodienum superest, binis unius hebdomadis feriis celebratum, *quarta* videlicet & *sexta*, quæ nobis Mercurii & Veneris dies salutantur. Olim quidem hebdomas passionis Dominicæ tantum his sacris insignita fuit; uti ex Ignatii verbis supra cognovimus; at postea Lib. V. *Constit. Apost. c. XII.* decretum, ut *omnes quartæ & sextæ feria cujuscunque hebdomadis jejunio destinarentur*. Rationem Epiphanius addit: *Quoniam illucescente quartâ, comprehensus est Dominus, & Pro-sabbatho crucifixus est, tradiderunt Apostoli, ut bis diebus jejunia fierent, ita ut impleatur dictum hoc: cum ablatus fuerit ab ipsis sponsus, tunc jejunabunt in diebus illis.* *Compend. Doctr. p. 466.* Ac apud Græcos quidem hæc ratio tantum valuit, ut quartâ æque ac sextâ feria hodienum jejunii consecratur; teste Metrophane Critopulo, in confessione Ecclesie Orient. c. XVIII. Qui, *jejunium, inquit, quartæ & sextæ feriæ omnium anni hebdomadum propriæ institutum est, quoniam illis diebus res magna peractæ fuere.* Etenim quarto rex mundi a discipulo & proditore est venundatus: *sexto autem in cruce peperdit is, qui terram in sublimi suspendit.* Vicem ergo ejus, qui pro nobis passus est, dolituri, *jejunium, quod moestitiam doloremque conciliat, istis duobus, per totum annum, diebus, celebramus.* Sed tamen, cum intelligeret orthodoxa Ecclesia, Christum *Luc. V, 25.* non de statis jejuniorum diebus; sed de persecutionibus aliquaque calamitatibus loqui, posthinc in Apostolos redundatur; non equidem jejunii onerare conscientias, attamen religiosæ mortis Christi memoriae *sextam hanc feriam, id est, diem Veneris destinare, publicæque adeo poenitentiæ dicare voluit.* Itaque, pro statu Ecclesiæ nostræ,



distingendum censeo, inter dies poenitentiae periodicos, qui singulis vel septimanis, vel mensibus, vel anni quadrantibus recurrent, & arbitrarios, qui ex auctoritate publici magistratus pendent, & prout Ecclesiæ, vel reipublicæ fata exigunt, instituuntur, indeque sonderbahrre Busz-Beth-und Fast-Tage / in tabulis publicis, vocantur. Ac primum quidem nomen a rei ipsius quiditate, scil. pœnitentia; alterum a pœnitentiae fructu, scil. precibus; denique ultimum ab ipsius pœnitentiae testimonio, quod jejunio aliisque signis externis declaratur, obtinuit.

### §. XI.

Ne proinde longius hinc digrediamur; missis in compendium ambagibus, ipsius rei caput definiemus. Est enim pœnitentia solennis, nobis in praesenti nihil aliud, quam motus Spiritus S. gratiosus, atque extraordinarius, quo imminente publica calamitate, universa Ecclesia ad agendam majori cordis affectu pœnitentiam, ad ardentiores preces, aliaque sanctimoniae indicia declaranda, mediante verbi praæconio, excitatur, ut DEus tot omnium sceleribus ad vindictam provocatus, conspirantibus omnium animis, per ἡλαστηριον Christi, reconcilietur, adeoque præsentissimum DEI suppli-  
cium, aut avertatur plane, aut in ταιδίᾳ paternamque castigationem commutetur.

### §. XII.

Itaque, ut justo nunc ordine haec persequar; Pœnitentiae vox h. l. non μεγικῶς accipitur pro sola contritione, seu dolore animi de peccatis, cuius quidem affectionis κριτήριον, velex subiecto petitur, corde videlicet peccatoris, quod poenitentia dicitur Psalm. XXV, 17. vel ex objecto, ipsomet peccato, quod homo dolet, admissum.

Lev.



*Lev. V, 5. Fer. VII, 6. vel ex opposito, cum αντιδιμημένως pœnitentiae fides adjungitur; ut: resipiscite & credite Evangelio. Marc. I, 14. Testificor Iudeis simul & Gracis poenitentiam, est & fidem, qua erga Dominum Jesum Christum Act. XX, 21. Quin potius, ubi de pœnitentia solenni nobis agitur, δλων̄ς capiendum vocabulum est, quo pacto quoddam quasi αποτέλεσμα sistit, quod contritione juxta ac fide constat. Quæ quidem vocis significatio inde cognoscitur, cum vel indefinite ponitur: ut μετανοείτε, pœnitentiam agite, in propinquuo enim est regnum coelorum. Matth. III, 2. Item: non veni ad vocandum justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Matth. IX, 13. utrobique enim totum συμπεπλεγμένον pœnitentiae intelligi, in propositulo est; vel definite, & cum προθέσει salutaris effectus, ita, dicente Christo: gaudium erit coram angelis DEI super uno peccatore resipidente. Luc. XV, 10. ipsem effectus testatur, dolorem cum fiducia salutari coniunctum fuisse, quippe qua absente, gaudium inter cœlites excitari non poterat. Similiter & in concione Petrina: pœnitentiat vos peccati & convertimini, ut delean tur peccata vestra, Act. XI, 19. ipsa peccatorum remissio argumento est, si dem simul ab his auditoribus requisitam fuisse.*

### §. XIII.

Sive autem dolorem cordis atque contritionem, sive ipsammet fidem respicias, unde salutaris evadit pœnitentia; nequaquam tamen hominis; sed ipsius DEI, & appropriative Spiritus Sancti, utrumque negotium est. Hic enim in Scripturis velut οὐτονύμιον undiquaque celebratur. DEUS est, qui mortificat & vivificat, 1. Sam. II, 6. qui percutit & sanat Esa. LVII, 21, 22. qui atterit & contritis cobabit at, lugentibusque solatum prabet XVI. v. 19. 22. Thren. V, 21. Ps. LI, 10. qui lacerat, vulnerique medetur.

Of.



of. VI, 2. Itaque hic motus Spiritus Sancti gratus nobis dicitur. Neque tamen a nobis discedunt, qui poenitentiam per mutationem animi & cordis definiunt; cum enim omnis mutatio ex genere relatorum sit, duosque adeo terminos involvat, unum recessum a malo alterum accessum ad bonum: utrumque sacræ literæ exprimunt, quoties declinationem a malo ad bonum, Psal. XXXIV, 15. Esa. I, 16. 17. nec non viam iniquitatis & justitiae Jer. VI, 16. c. XXV, 5. describunt.

#### §. XIV.

Sed ista quidem poenitentiae solenni cum quacunque alia conversione, communia sunt. Nunc igitur de περοχαις & singularibus ejusdem dispiciendum. Ac Primo quidem, ratione cause efficientis principalis, huic poenitentiae motum Spiritus S. extraordinarium tribuimus; quae tamen vox cum grano salis accipienda & ab ambiguitate sua liberanda est. Non enim ( $\alpha$ ) infert exclusionem mediorum ordinariorum, ac si motum Spiritus Sancti conversivum, sine Verbo & Sacramentis cum fanaticis, comminisci velimus. Nam ex lege ante omnia agnitus peccati haurienda, Rom. III, 10. ac legis voce, ceu malleo, saxe a hominum corda conterenda sunt, ut ad recipiendam fidem idonea evadant. Jer. XXIII, 29. Esa. XXXVIII, 13. Tum vero Evangelii est fidem accendere, Rom. I, 16. c. X, 17. & mentem nostram illuminare, 2. Cor. IV, 6. Eph. I, 18. ut Spiritum, justitiam, remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos per fidem consequamur. 2. Cor. III, 6. Rom. VIII, 1. Epb. I, 13. Act. XXV, 18. Sacramentorum denique est sigilla gratiae addere, quibus obsignemur. Rom. IV, 11. Matth. XXVI, 28. Quid, quod DEUS sub medio revelationis statu, quo πολυμερῶς οὐ πολυτρόπως ad Patres locutus est, non aliis conversionis & salutis mediis



mediis usus sit, eoque furorem Enthusiastarum saepius  
compescuerit. *Esa. VIII, 20. c. LXVI, 2. Jerem. XXIII, 1. 19.*  
*c. XXIX, 8, 9.* Neque (3) hac voce extraordinarium conver-  
sionis modum, in Scripturus non promissum, indigitamus, qua-  
lem J. Melch. Stengeris, superiori seculo, sero poenitentibus  
tribuebat, quippe quos sub finem vitae converti qui-  
dem putabat, sed gratia plane extraordinaria, durch eine  
außerordentliche / besondere / und in seinem Gnaden-  
Bunde nicht verheissene Gnade. Vide *Palinod. Steng.*  
*App. p. 39. seq.* Nimurum non se denegare quidem sero  
poenitentibus gratiam conversivam ajebat, sed cum non  
nisi credentibus, beneque operantibus vita & salus pro-  
missa sit; per modum in Scripturis non promissum i. e. ut  
loquebatur extraordinarium, & illum quidem difficilli-  
mum, converti sero poenitentes posse; tandem vero a  
Theologis nostris in angustias redactus, hujusmodi  
peccatores fide non nuptio Φόρω sed αὐτέπω nicht durch ei-  
nen Frucht-reichen / sondern Frucht-armen Glauben/  
i. e. modo extraordinario salvari, contendebat. Sed bene re-  
sponsum a Theologis est; viam ad conversionem non  
aliam, quam per verbum Legis, & Evangelii patere; nec  
fores gratiae universalis in hac vita cuiquam occludi; ac  
ne in ultima quidem mortis hora nostrorum operum,  
sed unius fidei rationem a DEO haberi; tandem ad co-  
ercendam hominum securitatem, non opus esse fig-  
mentis, cum valida sat fulmina legis suppetant, ad du-  
ritiem cordis tollendam; quae omnia fidei analogiae ex-  
asse congruunt. Vid. *Responsa Theolog. in Stengerismo*  
*condemnato, ab Hartnaccio ed. & Dn. Museum im Gründl.*  
*Bericht. p. 422. 652.* Multo autem minus (γ) magnam  
illam, & plus nimio solennem poenitentiam intendo, die  
grosse Busse / qua de, cum Stenger, novatores passim

C

glo-



gloriantur. Conveniunt sc. in eo , quod hac conversione  
semel peracta, regenitos peccata, minimum proæretica  
non amplius committere statuant ; differunt autem inter  
se , quod ille ministerio verbi , hi vero divino quodam al-  
loquio , aut certe præconio Pietistico , quippe quo solo  
hominum commoveri corda queant , peccatores solen-  
titer converti arbitrentur. Vide Musæum L. c. p. 652. &  
Plur. Rever. Dn. Storrii Elenchos c. Rosenbachium passim.  
Item Dn. Schlosserum c. ejusdem Wunder- und Gna-  
den- & volle Führing Prefat. Verum (δ) motum Spir.  
S. extraordinarium appellamus , partim , ratione causæ  
impellentis , quod , cum alioquin bonitate DEI invitetur  
ad poenitentiam , Rom. II, 13. nunc exæstuante DEI ira ,  
omnis generis calamitatibus , ad eam compellamur ; par-  
tim , ratione causæ indicentis , scil. Magistratus ; quippe  
cujus est de placando Numine divino mature cogitare ,  
& , vel extra ordinem , dies poenitentia sacros præscri-  
bere ; partim , ratione totius coetus , qui præsenti rerum  
perturbatione commotus , DEO supplex fieri , & plena  
cordis fiducia misericordiam ejus exorare jubetur.

### §. XV.

Itaque Illo. Poenitentia solennis a ceteris conver-  
sionum modis , ratione causæ προναταγητικῆ distingvitur :  
quæ quidem , vel imminens , ut modo patuit , vel jam in-  
cubans reipublicæ calamitas est. Poena enim diuina non  
secus ac Verbum legis reale censeri debet , quod con-  
temptum sui acerrime vindicat. Neque vero tantum  
πονέια , sed etiam τριμωχία , urgentes causæ sunt , quibus  
ad placandum DEUM adducimur. Ac tria quidem  
poenarum temporalium genera , quæ homines affli-  
gunt , famosiora existunt ; ut bella , famis , pestis ;  
Jerem. XIV, 12. & hæc ipsa præcipua quædam incentiva  
sunt,



sunt, ad poenitentiam religiosius peragendam. Ita Israe-  
litæ, cum DEUM deseruissent, inciderunt in manus Am-  
monitarum: ab his igitur divexati quid agunt? Non  
unis, sed iteratis sacris opus erat ad expianda illorum  
peccata. Nam clamabant filii Israëlis ad Jebovam dicen-  
do: peccavimus tibi, quia deseruimus DEUM nostrum, &  
servivimus Baalim: sed responso accepto: ite, & clamate  
ad DEOS, quos elegistis, illi servent vos in tempore angu-  
stie vestre: iterum, dixerunt filii Israëlis ad Jebovam: pec-  
cavimus: fac nobis secundum id, quod placet oculis tuis,  
tantummodo eripe nos hoc die. Jud. X, 6.7.seq. Nec minor  
belli calamitas Iudæam premebat, tempore Rechabea-  
mi; Sisaco, Ægypti Rege, urbes insigniores occupante.  
Quidtum consiliï? illico congregatio Hierosolymæ insti-  
tuta, quam ex ritu nostro poenitentialem dixisses: Tex-  
tus certe Semajæ, Prophetæ, emphaticus erat: Sic dixit  
Jehova: vos deseruistis me, ideo & ego deserui vos, dedique  
in manum Sisaci. Tum vero humiliarunt sese, & Rex, &  
principes Israëlis, dixeruntque: Justus est Jehova. Nec  
inauspiciatus sequebatur exitus: Videns enim Dominus,  
quod humiliati essent, factum est verbum Jebovæ ad Sema-  
jam, dicendo: quia humiliati sunt, non disperdam eos, sed  
dabo illis pauxillum evasionis, nec effundam iram meam in  
Hierosolymam per manum Sisaci. 2. Chron. XII, 1, 2,3. seq.

## §. XVI.

Alterum calamitatis publicæ genus, anno & caritas est;  
qua vix tristior alia, quam cuius Joël meminit Propheta; sed & hæc ipsa universos terræ incolas excitabat ad  
diem jejunii DEO sacrandum: Sanctificate jejunium,  
convocate coetum, congregate Senes, & omnes habitatores  
terre in domum Jebovæ DEI vestri; & clamate ad Jebovam,  
dicentes: heu diei! Accedebat concio Prophetæ, DEI



jussu ad populum habita: convertimini ad me ex toto corde vestro, in jejunio & in fletu & in planctu; scindite corda vestra & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum DEUM vestrum, c. I, 2. seq. & c. II, 11, 12. Cujusmodi calamitas, cum & in aetatem Amosi incideret, utique magno incitamento erat, ut festa in luctum, & cantica in planctum commutarentur, quæ omnia celebritatem poenitentiae abunde indicant. vid. Amos. VIII, 10, 11. Denique quantum malum pestilentia est? quippe quæ integras saepe regiones depopulatur. Obduratis sane & impoenitentibus, ut τιμωρία denunciata fuit. Jer. XIV, 12. At, in Davide non nisi παιδείας rationem habuit; quandoquidem peracta jam poenitentia, non in se, sed in ipso Israële, hanc luem grassari vidit. 2. Sam. XIV, 10, 15. Ex quibus omnibus manifestum est, poenas, vel gravissimas, & quas ipsa mors insequitur, non æternæ mortis testimonia, sed ultima quasi suscitacula esse, quibus impii ac pervicaces impelluntur, ut resipiscant; pii vero, ut in studio sanctorum pergant, justaque DEI judicia agnoscant. Facciant igitur Socinianorum Φλυαρία, Hutterus noster inquit, quod poena temporales, quas mors insequitur, æterne damnationis testimonia censeri debeant. In εξετάσει Err. Phot. de Poenitentia §. 14. & 35. quod argumentum uberiorius excussum vide in disquisitione nostra de Term. peremptor. Qu. VII. p. 154.

### §. XVII.

Præterea IIIo. poenitentiae solennitatem auget totius coetus congregatio. Utut enim privata poenitentiae gratiam suam minime denegaverit DEUS; integro tamen coetui, in nomine divino congregato luculentiores multo χειρότητος suæ divitias pollicitus est: Dico vobis, Christus inquit, quod si duo ex vobis consenserint super



per terram, de omni re, quacunque petierint, sicut illis a Pa-  
tre meo, qui in cœlis est. Non enim e longinquo hos  
audire, sed præsens observare preces illorum consti-  
tuit: nam ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi  
sum in medio eorum. Mattb. XVIII, 20. Quod si igitur vel  
duorum preces adeo prompte exauditum se promi-  
sit, ecquid non speret concio totius urbis, totius provin-  
ciæ aut regni? & illa quidem in una eademque fide con-  
sentiens, unaque mente & lingua, DEI misericordiam  
implorans? Itaque ad solennem ejusmodi luctum con-  
vocantur omnes, cujuscunque vel ætatis vel dignitatis  
sunt: *congregate populum, sanctificate congregationem; colli-  
git e senes, congregate infantes & fugentes ubera; exeat Spon-  
sus e tabalam suo & Sponsa e conclarvi suo.* Joel. II, 16. Con-  
fer exempla paulo ante allata. Neque tantum expia-  
toria, sed & eucharistica sacra, ab integra concione cele-  
brari oportuit; præcinente Psalte: *confitebor tibi in con-  
gregatione magna, in populo numeroſo laudabo te,* Ps. XXXV,  
18. Item: *annunciabo iustitiam tuam, in Ecclesia magna, nec  
celabo misericordiam, veritatemque tuam congregationi ma-  
gnæ.* Ps. XL, 10, 11.

### §. XVIII.

Netamen magna illa congregatio confusione lo-  
cum relinquat; IVto, haud parum solennitatis ad poenitentiam affert ordinatio feriarum, quæ ad Magistra-  
tum publicum spectat. DEUS enim poenitentiam  
agere præcepit; quibus vero diebus, & quota diei ho-  
ra, convocari coetus, quibusque ceremoniis hæc sacra  
celebrari debeant; olim quidem nonnunquam ipse præ-  
scripsit, saepius tamen & superiorum arbitrio commisit.  
Sic, imminente excidio Hierosolymæ, dixit Jehova:  
*O filia populi mei, cinge te sacco, & involve te cineri, &*



planctum amarissimum ede, luctum unigeniti fac tibi. Jer.  
VI, 26. Parem quoque cultum, in pari calamitate sibi  
fieri præcepit: *Dictum Jekova: Accingite vos sacris, & plan-  
gite Sacerdotes, ululate ministri altaris, ingredimini, per-  
noctate in saccis, o ministri DEI mei. Joel. II, 13.* Aliquando autem Reges, instinctu divini Numinis, & diem in-  
dixerunt, & modum cultus ordinarunt. Ita Rex Nini-  
ves, auditio DEI verbo, surrexit de throno suo, & abjecit  
clamydem suam, & induitus est sacco, & sedet in cinere: &  
proclamari fecit: *In Ninive ex decreto Regis & principum  
sat, ut homines, & jumenta & boves, pecora non gustent  
quicquam; nec pascantur, nec aquam bibant. Jon. III, 7, 8.*  
Perinde etiam Josaphat, Rex Judæ, accensam in se iram  
Jehovæ intelligens, congregasse omnes seniores Judæ  
& Hierosolymæ, atque adscendisse in domum Jehovæ,  
Sacerdotesque & Levitas ordinasse, & dehinc universam  
calamitatem deprecatus fuisse perhibetur. 2. *Cron. XX,*  
29. Exemplum istorum Regum imitati deinde sunt Imperatores & Princes Christiani, qui, quæ ad externum  
Ecclesiæ ordinem, disciplinamque & decorum faciunt,  
summo studio disponebant; indeque est, ut, qui ho-  
die præsunt reipublicæ, velut summi Ecclesiæ nutricii;  
pari modo, cum cetera religionis negotia, tum dies pœ-  
nitentiales, lectiones, ac preces publicas ordinent, & de  
Ecclesiæ salute & reipublicæ tranquillitate conservan-  
da, adhibitis in consilium viris rerum divinarum hu-  
manarumque solide peritis, laborent.

S. XIX.

Cum proinde Dei juxta ac magistratus auctorita-  
te, ad hoc poenitentiæ studium, obligetur coetus;  
*Vto, ratione graduum, quoque aliqua sese ὑπεροχὴ exer-  
cit, ut adeo majori quedam cordis affectu, pœnitentiam  
agere*



agere oporteat. Evidem cum duas poenitentiae  
partes constitutae Scriptura; contritionem alteram, ceu  
constat, alteram fidem, quam propositum emendandæ  
vitæ consequitur; dubitari omnino poterat, an in ho-  
mine convertendo gradus utriusque partis urgere con-  
veniat? Ac obstarre nobis videtur B. Hoepfnerus, qui:  
*Contritio quidem, ait, non quoad eosdem gradus, attamen*  
*quoad essentiam, omnibus poenitentiam acturis est necessaria.*  
Isagog. ad S. canam P. 2. p. 86. Cujus asserti rationem  
alibi solidam suppeditat: *Defectus ille graduum doloris in*  
*contritione non imputatur, sed remittitur cum aliis pecca-*  
*tis per fidem, qua contritionem excipit, ut altera pars poeni-*  
*tentie. Sunt enim distincta tempora; unum legis, alterum*  
*Evangelii. Legis concio quando audita est, & effectum*  
*bunc sortita, ut peccator agnoscat necessitatem remissionis*  
*peccatorum, tunc periodum temporis sui absolvit, & incipit*  
*tempus Evangelii, quod concionatur de medico Christo, & re-*  
*missione peccatorum per fidem in illum obtainenda. P. II. p. 86.*  
*& 182.* Egregia sane, & cedro digna hæc doctrina est,  
cum & rationem fidei infirmæ habeat, qua plurima  
Christianorum pars laborat; & Pontificios aut cuius-  
cunque ætatis Operistas tacite stringat; quorum illi  
contritionem appretiative summam i.e. dolorem, ad im-  
petrandam remissionem peccatorum, ejusmodi exi-  
gunt, qui pretium doloris & luctus naturalis plane ex-  
cedat; quorsum vid. Bellarminus de Poenit. L. II. c. II. prop. 2.  
hi vero nescio quam desperationem & agritudinem poe-  
nitentiale, eandemque moratorium ac diuturnam requi-  
runt, sine qua, ad magnam illam conversionem poenitens  
eniti hand queat. Ut enim prior hypothesis operum  
meritis, & satisfactionibus aperte velificatur, ita poste-  
rior hæc conscientiis laqueum desperationis injicit, quo  
quidem



quidem detentos, dubium non est, misericordiam DEI  
aut extenuare, aut spernere aut calumniari.

S. XX.¶

Itaque media hic incedendum via est, ne in alterum extremorum impingamus. Nam gradus contritionis minime requiritur in poenitente, *vel ratione sensus*, ac si desperare de consequenda DEI gratia debeat, qui acrius non angitur animo, aut discrucatur; nam *ad dolorem contritionis pertinet dolere, quod non satis possit dolere de peccatis*, dicente Chemnitio Exam. C. Tr. pag. 380. *vel ratione pavoris*, ob atrocitatem praesentis poenae; cum alii, vel ad rumorem imminenteris periculi expavescant, minus tamen ab offendo Numine divino sibi metuant, alii temporum deplorent iniquitatem, non suam; siquidem illud Chrysologii hic locum habet: *mala tempora nobis facit contemptus DEI; temporum cursus non facit. Serm. XLIII, de jejun. p. 113.* Sed majorem cordis affectum exposcimus (*α*) in agnitione justitiae divine, & nostrae ipsorum injustitiae, atque indigentiae. Nam non agnoscere justitiam DEI in puniendis sceleribus, Epicureum; suam vero ipsius injustitiam dissimulare, Hypocriticum est. Quare utraque haec agnitione practica esse debet, & cum tremore æque ac pudore conjuncta. Sic, in poenitentia solenni Israëlitæ: *justus est Dominus, inquiunt, & DEUM propitium inveniunt.* 2. Paral. XII, 6. Daniel autem Propheta, totius coetus accusat injustitiam; *non super justitiis nostris deponimus preces nostras, sed super miserationibus quis multis. Dan. IX, 18.* Cum enim agnitione ista, prima quasi ad veram poenitentiam janua sit, hanc DEUS ante omnia postulat: *Tantummodo agnosce, iniquitatem tuam, quod contra Jebo- ram DEUM tuum prævaricatus sis. Jer. III, 13. c. VIII, 6.*

Tum



Tum vero ardenter cordis affectus se exerit ( $\beta$ ) in aperi-  
tiori peccatorum confessione. Poenitentia, sive publica, siue  
privata, in confessione peccatorum individualium subsi-  
dit, *Luc. XVIII, 13. Ps. LI, 2. seq.* at, in poenitentia solenni  
recordari jubemur peccatorum, *a Patribus nostris, Re-*  
*gibusque ac principibus nostris commissorum, Dan. IX, 8.*  
*Patres nostri peccaverunt, & non sunt amplius, & nos ini-*  
*quitates eorum portabimus, Thren. V, 7.* Hinc filii Israels,  
die jejunii instituto, & holocausto oblato, non aliud con-  
fessionis suæ compendium edunt, quam hoc ipsum:  
*peccavimus Jehovæ; & exaudivit eos Jehova, 1. Sam. VII, 6.*  
Maxime autem ( $\gamma$ ) in detestatione & odio peccati; quod  
quidem propositum *privatum* aliqui appellant, quo  
cesset homo a peccatis proæreticis, in posterum commit-  
tendis; idque a proposito, ut vocant, *positivo* distinguunt,  
ceu necessario & immediato pœnitentiæ fructu, quem  
declarare tenetur conversus. Atque hoc conciones Pro-  
phetarum vel maxime urgent: *abjicite malitiam ope-*  
*rum vestrorum ab oculis meis; cessate agere perverse, &*  
*discite recte facere, Ef. I, 16.* Item: *agite pœnitentiam ab*  
*omnibus peccatis vestris; & projicite a vobis omnes iniqui-*  
*tates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis*  
*cor novum, Ezech. XVIII, 31. conf. Jer. IV, 1.* Tametsi vero  
contritio nostra, nec *meritum*, nec *medium causale* sit,  
consequendi gratiam divinam & remissionem pecca-  
torum; tamen pars ordinis divini, atque adeo *medium*  
*quoddam ordinale*, dici meretur; sine quo nec cor ad  
recipiendam fidem præparari, nec ipsa consummari  
pœnitentia potest. *Vid. Hulsem. Brew. p. 502.*

§. XX.

Quare, ut salutaris evadat contritio, suis ipsa limi-  
tibus describenda est, neque extra socialem fidei co-

D

pulam



pulam relinquenda. *Hic nosse oportet prædicamentum quando, Lutheri verba sunt: quamdiu scil. durare debat imperium seu tyrannis Legis, qua revelat nobis peccatum, ostendit nobis, quales simus, & aperit iram DEI: qui serio ista sentiunt, subito perirent, si non acciperent consolationem; ideo, nisi abbreviarentur dies legis, nemo salvus fieret.* Comment. ad Gal. T. IV. Jen. p. 202. Itaque in pœnitentia etiam solenni, ad fidem justificam proponendum, eademque aut renovanda ex verbo Evangelii, aut corroboranda atque augenda est. Evidem quidditas fidei justificantis, non consistit in qualitatibus vel gradibus fidei, sed, ubi unita fuerit cum re desiderata, i. e. cum CHRISTO pro peccatis nostris mortuo, jam ἰσότιμος est coram DEO 2. Pet. I, 1. jam vitam spiritualem homini in peccatis mortuo largitur, Gal. II, 20. & imputatur credenti ad justitiam, Rom. IV, 4. Interim tamen, fidem indies proficere, & die maxime poenitentiali, sua capere incrementa, quis dubitet? Nam pericopæ, quas proponunt Prophetæ plurimam partem, Evangelicæ sunt, & misericordiam DEI paratam, omnibusque obviam esse, nunciant, eoque fidem misifice augent. Convertimini ad Jebovam, D E U M. vestrum, quia gratus & misericors, quia longanimis & magnus commiseratione, & quem mali subinde pœnitere solet. Joel. II, 13. Quanta vero hæc misericordiæ divinæ εξεπυκσία est! At multo adhuc major illa, quam Israelitæ die, jejunio solenni celebrant. Nam recitatis quantiscunque Israelitarum sceleribus, ajunt: *Tu tamen D E U S miserationum, gratiosus & misericors, longanimis, & magnus benignitate fuisti, nec unquam illos deseruisti;* Iterum, recensita populi idolatria, quam fuso vitulo admiserint, pergunt: *tamen per miserationes tuas multas, non deseruisti eos in deserto.*



*deserto.* Denuo, commemorata illorum exacerbatione & rebellione contra Legem DEI, crudelique Prophetarum interfectione, tamen gratiam DEI exuberasse, ajunt : *Tu vero clamantes in tempore angustie e cœlo audiisti, & juxta miserationes tuas multas dedisti iis liberatores, qui liberarunt eos e manu hostium eorum.* Denuo, ipsos concessa quiete abusos, eoque in manus hostium traditos fuisse referunt ; at clamantes, pergunt, *tu e cœlo audiisti, & eripuisti eos, juxta miserationes tuas multas, sapissime.* Innumeris denique vicibus, addunt, peccasse illos, & cervicem suam indurasse ; sed tamen, finiunt, per miserationes tuas magnas non perdidisti, nec deseruisti illos, quia DEUS gratus & misericors tu es. Nebrem. IX. v. 17. seq. Quanta quæso hæc fiducia est, quam in misericordia divina habent repositam ! Et quanta illa basis est, cui fidei innitur ὑπόστασις ! Itaque fides robur omnino majus a precibus impetrat, accedente in primis oratione : *adauge nobis fidem.* Luc. XVII, 5.

### §. XXI.

Sic adeo *Vito*, non minima hujus cultus solennitas a precibus & supplicationibus, oritur. Atque has ipsas religiosores, & publicæ necessitati magis accommodatas esse oportet. Ecclesia certè Israelitica sub exilio Babylonico gemens, *languescit*, i. e. querelas & lamentationes fudit, lacrymis subinde irrigatas, quæ hodienum inter libros canonicos suppetunt. Erjam olim, quoties, ingruente publica calamitate, DEI imploraret auxilium, non orasit, sed clamasse ad DEUM planctusque & ejulatus edidisse dicitur, vid. Jud. III, 9, 15. c. VI, 4. Ps. XXXVIII, 9. Es. XIII, 6. Primitivæ autem Ecclesiæ Psalmi, quos pœnitentiales vocant, quoddam precum publicarum compendium erant, quibus DEUM ibat exoratum. No-



bis hodie Λιτανεία, i. e. genus precandi supplicatorum, diebus pœnitentiæ sacris adhibetur; de cuius origine disceptant auctores. Pontificii illam ab Apostolis derivant, sed non nisi monumentis suppositis nituntur. Sane, quæ prioribus quatuor seculis de ea tradi solent, obscuriora sunt. Interim jam, seculo Vto, in Ecclesiis passim receptam fuisse, vel ex Concilio Vasensi III. patet, quod subsequenti ævo celebratum, hunc orandi ritum, velut notum, approbat. Can. III. Quia, tam in sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales atque Italie provincias, dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut Κύριος ἐλέησον frequentius, cum grandi affectu & compunctione ducatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris, ista tam sancta consuetudo, & ad matutinum, & ad Missas, & ad vesperam, DEO propitio, intromittatur. Apud Labbeum Tom. IV. Concil. p. 1679. De precipibus extraordinariis nihil addo, quippe quæ sic conscribuntur, prout publica urget afflictio; ac tum demum Biblicis illis respondent, cum præmissa peccati agnitione, unicum in DEI misericordia, & Christi ἵλασηρια, perfugium quærunt.

### §. XXII.

Plurimum vero solennitatis Pœnitentiæ VIImo. a signis ritibusque externis accedit, quibus veritas contritionis & fidei declaratur. Præcipuum pœnitentiæ cum signum, tum medium paedagogicum & instrumentum jejunium semper fuit; de cuius quidem feriis & stationibus supra nobis dictum, nunc vero de moralitate ejus non nihil addendum est. Bene disputant Philosophi, quædam per se bona & propter se expertenda esse, ut sapientia, fides, salus; alia nec per se & propter se, sed ad aliud relata, adeoque propter finem honestum ac laudabi-



dabilem approbari. Ita Jejunium, prout inediā vel abstinentiam a quibusdam alimentis, arguit, per se non est cultus DEI; cum regnum DEI non sit cibus ac potus, sed justitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto. Roman. XIV, 17. Nec esca nos commendet DEO. Neque enim, si comederimus, plus valebimus, scil. apud DEUM, neque, si non commederimus, quicquam nobis deerit. 1. Cor. VIII, 8. Sed, si jejunium fidei jungatur & orationi, adeoque ad hanc finem referatur, ut caro coērceatur, & in servitutem redigatur, ne Spiritui oblugetur, ejusque actiones sua vel petulantia, vel cunctio impedit, & interturbet, sed ut mens aptior fiat ad meditationes spirituales, ardenteriusque ac liberius vacare possit contritioni, fidei, orationi, studio novae obedientiae, & reliquiis pietatis exercitiis, tum demum probatur DEO, & in Ecclesiis nostris, his maxime diebus, commendatur. Vid. Aug. Conf. Art. V. Abus. Nec unquam de jejunio aliter loquitur Spiritus Sanctus, quam ut hos fines intendat. Nam postquam crediderant Ninivite, proclamarunt jejunium. Jon. III, 5. Et Josaphatus tempore belli, majorem omnino fidei, quam jejunii rationem habebat, quando ipse in medium congregationis prodibat, precibus ad DEVUM fuisit; quibus vix quicquam religiosius legi potest. 2. Chron. XX, 3, 4, 6. seq. Cum proinde in superstitionem & optionem meriti abiissent jejunia, eoque fastidirentur a DEO; quæstio jam tempore Zachariæ movebatur: num flere deinceps, ac jejunare, solennibus istis diebus expiationum, liceat? responsumque a Jehova: Dic ad universum populum terræ, & ad sacerdotes: quando jejunasti & planxisti, quinto & septimo mense, idque septuaginta annis; num jejunando jejunasti mibi? & quando comedistis ac bibistis, annum vobis met ipsis comedistis atque bibistis?



bis? ac deinceps verum jejunium, quod cum DEI timore & emendatione vitae conjunctum esse debeat, præscribit. Zach. VII, 4, 5. seq. Rectius Esra jejunium solenne inter suos proclamans, finem addit, ut affligerent se coram DEO, & viam rectam ab eo peterent. Esr. c. VIII, 21. Et Apostolus monet, ut in anticipi periculo fideles jejuno vacent & orationi. 1. Cor. VIII, 5.

### S. XXXIII.

Aliud solennis poenitentiae signum, bunicubatio ac genuflexio fuit, luculentum, ut credebatur, humiliacionis indicium. Ut ut enim erecto corpore orare, Israelitis insolitus non fuerit, in solenni tamen jejunio, hic mos perpetuo observari consuevit. Ac ne Reges quidem deducit, pronis in terram faciebus iram DEI deprecati: Nam incurvavit se Josaphatus in faciem versus terram, omnis etiam Iehuda & habitatores Hierosolymæ ceciderunt coram Iehova, ad adorandum eum, tempore belli. 2. Chron. XX, 18. Conf. Jon. III, 6. 2. Reg. XII, 16. Perstitit ritus per omnia N. T. tempora, & in magnis subinde periculis frequentatus fuit. Nam etiam de Const. M. refert Eusebius, quod, antequam pralium iniret, seorsim in tabernaculo positus, orationibus vacarit supplex, ab omni quidem joco & delicioris vita cultu abstinuerit, & jejuniis corpus fatigaverit, & supplicationibus DEUM placarit, ut proprium suarum partium adjutorem haberet. Vit. Const. M. LII. c. 14. Similia de Theodosio M. legas, cum cruentam Thessalonicensium cædem defleret; uti est apud Theodoretum Lib. V. c. 18. quam tamen poenitentiam, non solennem, sed publicam fuisse, cum ad unius Imperatoris culpam spectaverit, observat Forbesius. Instr. Histor. Lib. XII, c. 5. p. 648. Retinetur hucdum ritus in poenitentia solenni, & edictis Superiorum publicis injungitur; at tum demum

DEO



DEO gratus est, ubi ex spontaneo fluit motu, ipsique  
Reges, quod jucundissimum adspectu, suomet exemplo  
alios ad hunc cultum invitant.

§. XXIV.

Plures omnino sunt humiliationis religiosæ significationes, ut noctu ac interdiu jacere in terris, sedere in pulvere, cinerem capiti injicere, lacerare vestem & similia, in quibus excessus deitatis proficiunt & superstitionem, Col. II, 23. ostentatio hypocrisie Matth. VI, 16. arguit. At de his tamen omnibus illud Pauli usurpes: γυμνασία σωματική seu corporalis exercitatio parum utilitatis habet; at pietas ad omnia utilis est, habetque promissionem cuius & futuræ vitæ. 1. Tim. IV, 8. Dignum præ ceteris notatu est, quod Ninivitarum Rex, non homines solum, sed bruta etiam his pœnitentiæ exercitiis subjici voluerit. Haud dubie enim Rex hoc luctu implicari pecora constituit, ut lamentabili sua voce homines magis magisque incitarent, atque ad serium dolorem provocarent. Reliquias inepiarum paganarum in hoc ritu B. Lutherus observat; interim tamen signa doloris ac pœnitentiæ fuisse non inficiatur. Tom. III. Jen. p. 217.

§. XXV.

Multo sane majoris momenti est cessatio a negotiis & curis profanis; atque haec non tam adiaphoris, quam necessariis hujus officii προσκερένοις, ex lege divina, accenseri debet. Sic enim de diebus expiatoriis DEUS præcepit, ut his ipsis, ab omni labore vacarent, Num. XXIX, 7. nec secus, ac dies Sabbathi, eos celebrarent. Lev. XXIII, 32. conf. iヒprimis Es. LVIII, 13. Tum quoque passim urgetur vestium diversicolorum & ornamentorum quorumbis exultio, cum piaculum videretur lugere, & simul inanem fastum ostentare. Exod. XXXIII, 4. 5. Esther. IV, 1. 2. 3. Jer. IV, 8. c. VI,



8. c. VI, 26. Accedebat somni, omniumque recreationum, quæ  
pœnitentiam impedire poterant, cobibitio, Dan. VI, 18. c.  
X, 1. 2. 3. Matt. XXVI, 41. Denique etiam imminentि clade,  
in scelera, si qua admissa fuissent graviora, solitum in-  
quiri, ne in totum cœtum culpa redundaret ; id quod  
exemplum Achaniis ostendit Jos. VII, 12. itemque Jesa-  
belis, quæ, cum fingeret, Nabothum blasphemasse DEVVM  
& Regem, jussit indici publicum jejunium, ut adeo præ-  
textu pietatis, hoc scelus vindicaretur 1. Reg. XXI, 9.  
10. seq.

### S. XXVI.

At quid tandem VIII. omnium solennissimam hanc red-  
dit pœnitentiam ? illud vero ex fine atque fructu ejusdem  
principio, nova scil. obedientia cognoscendum, quæ, ubi  
successerit, dubium non est, quin vel arceatur ma-  
lum præsens, vel in παιδείᾳ paternam commutetur. Ita  
Esra : postquam jejunavimus, inquit, & imploravimus DEUM,  
en exoratus est nobis c. IIIX, 23. Et, simul ac recederent a via  
mala Ninivitæ, illico pœnituit Deum super malo, quod dixerat  
facturum illis, Jon. III, 10. Daniele vero adhuc sacris publi-  
cis defungente, exivit verbum DEI, de exauditis ejus pre-  
cibus, & populo ab omni tribulatione liberando. c. IX, 18. Nec  
ullum in Sacris memoratur exemplum solennis pœni-  
tentiae, quam, ubi vera fuit, DEUS ratam non habuerit.  
Itaque precum nostrarum compendium, pericopa sit,  
nupero die pœnitentiali, Ecclesiæ, non sine bono omne  
præscripta : O Domine, supplices tibi preces fundimus, non  
super justitiis nostris, sed super miserationibus tuis multis :  
Domine audi, Domine condona, Domine attende, & ne mor-  
rare, propter te, DEUS mihi, quia nomen tuum invocatur  
super urbem tuam, & super populum tuum.

A M E N.



ED - Beg 2002

01 A 6739



D.

Rabat

46  
Sti





DISPV TATIO I  
DI  
POENIT  
SOLE

SVB AVS  
RECTORIS MAGN  
SERENISSIMI PRINCIP  
**DN. FRIDERIC**  
ELECT. SAX. HEREDI  
PRAES

**IO. GEORG.**  
SS. THEOL. D. EJVSDE  
CONSISTORII ECCLE  
ACAD. BIBLIO  
PRO SVMMIS IN THEO  
RITE IMPE  
AD D. XII. OCTOB  
HORIS ANTE - ET  
DEFEN

M. CHRISTOPH. HE  
SS. THEOL. CAND. FAC  
ASSESSOR, NVNC VERO SACRORV  
ANTISTES, IPSIVSQVE BA  
PASTOR VC

EDITIO S

WITTENBERGÆ, PRI

B.I.G

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

